Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1829
Quelle:
Copyright:

lon. per *Henr. Quentel* 1539. *fol.* CXXXIV. f. Extat *Henr. Bullingeri* Responsio, in qua disseritur, an religionis caussa victi sint Heluetij Euangelicae professionis, anno Domini 1532. *Opp.* T. IX.

III. *fol.* 81. *Pauli Bidzowini Parochi ecclesie D. Galli in antiqua ciuitate pragensi contra Waldensium et Pighardorum errores et impias assertiones* Libellus ad *Ferdinandum* I. In Dedicatione, quae data est 1538. conqueritur mellitis hujus Sectae sermonibus plane Proceres quosdam inductos, ut illius innocentiam Regi testarentur, rogatque, ut Rex libelli hujus impressionem lingua *Bohemica* permittere velit, quo contrarium omnes edoceantur. In ipso vero Libello *Waldensium* doctrinam maxime de *Baptismo* et *sacra Caena* exagitat, frequenter ad ea *Johannis Fabri* Opuscula adpellans, quae contra *Waldenses* s. *Picardos* 1528. et 1537. ediderat, in quibus illi multum adridere videtur, quod *Faber* quandoque *Hussi* doctrinam de Eucharistia *Picardis* opposuerit, verbisque illius *ad laudem*, ut ait, *et consolationem fidelibus Bohemis*, usus sit. Denique sub finem, se ab *Utraquistarum* partibus stare, non obscure innuit. Confer hunc Libellum, si placet, cum Scriptis *Cod.* DCCCCLXVII. *n.* 6. 12. 20. 22. 25. et 27. Autor noster in *Bibl. Gesn.* ridicule dicitur: *Paulus Bizoninus ecclesiae gallicae parochus Pragae.* In *Bohemia docta Balbini* non memoratur.

IV. *fol.* 96. *Joh. Fabri* Literae satisfactoriae ad Ordines Regni Boh. *sub Utraque* de Libro in materia Eucharistiae a se scripto, quo illos offendi inaudierat. Librum hunc eum puto, qui nunc P. III. *Opp. Fabri Colon.* 1539. legitur inscriptus: *Confutatio gravissimi erroris asserentis in Sacramento Altaris post consecrationem non esse totum et integrum Christum* &c. quo se per latus *Picardorum* peti *Utraquistae* forsitan suspicabantur. Suspicionem hanc modis omnibus diluere conatur *Faber*, eo maxime, quod etiam *Johannis Hussi* opera ter in suam sententiam citaverit. Initium: *Non dubito, Magnificentiae uestrae imo omnes regnicolae a majori ad minimum* &c.

V. *fol.* 98. *Confessio Fidei Dominorum Sub Utraque. In nomine domini Amen. Incipit sancta synodus habita et rite celebrata anno Domini MCCCC. XXI. die. VII Mensis Julij, in inclita Ciuitate Pragensi* &c. Praesedisse dicuntur MM. *Joannes de Przibram, Procopius de Piltzna, Jacobus de Misna* et *Joannes de noua Ciuitate.* Extat in *J. Cochlaei Hist. Hussit.* L. V. p. 186. et videtur *Fabri* jussu hic inserta, ut vel ex propria sua Synodo convincantur *Utraquistae*, nullum sibi a Libro supra dicto facessi negotium.

VI. *fol.* 102. *Joh. Fabri* Apologia *prima* ad Regem *Ferdinandum*,